Th XXVI
23

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, *DE* SUDORE ET SUDORIFERIS.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO ARCHIATRO

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris

D. PHILIPPI REINHARDI VITRIARII,

J.U.D. ejuſdemque Facultatis Profeſſoris Ordinarii.

NECNON

Ampliſſimi Senatus Academici unanimi Conſenſu, & Almæ Facultatis MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis ritè & legitimè conſequendis,

Publico examini ſubjicit

LOTHARIUS ZUMBACH condictus KOESFELD.

Die 16 *Iulij, horis locoque ſolitis.*



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typographum. MDC XCIII.

Clariſſimo & Experientiſſimo.

V I R *O*

D. PAULO HERMANNO,
Medic. Doct. Experientiſſimo, & in Academia Lugduno-Batava ejuſdem facultatis ut & Botanicæ Profeſſori longe celeberrimo.

Patrono ſuo Fautori, atque in Botanicæ ſtudio Præceptori, omni obſervantiæ cultu proſequendo.

Diſſertationem hanc inauguralem

C. D. O.

LOTHARIUS ZUMBACH
condictus KOESFELD,
Author.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
SUDORE ET SUDORIFERIS.

THESIS I.

Sudorem ſecundum faciem quidem ejus & accidentia atque proprietates externas nemo eſt qui non noverit; internam vero ejus conſtitutionem & eſſentiam vel ſaltem eſſentiæ analogam, partes compoſitionis & generationis ſolis doctis nota eſſe hujus loci erit ut paucis oſtendam. Eſt igitur Sudoris materia præcipua ipſe Latex aquoſus ſive ſanguinis ſerum, quo ceu vehiculo plurimæ ſanguinis partes heterogeneæ vel effœtæ à Maſſa ſanguinea præcipitatæ, ſalinæ inprimis & oleoſæ proſapiæ, per diutinam fermentationem & repetitas circulationes jam attritæ & inutiles redditæ continentur, eaque in ſtatu magis naturali: In ſtatu vero præternaturali & inſuper ſudor multos ſæpe ſpiritus comites habet non ſine virium quandoquè inſigni jactura, & ipſum nutrimentum partium ſolidarum roſcidum depaſcitur, & materiæ morbificæ ſudore comite ſub puſtularum veſicularum, tumorum &c. formâ verſus corporis circumferentiam ſæpè auſpicatiſſima perficitur expulſio.

TH. II.

Excretorium itaquè ſudoris ordinarium & univerſale eſt ipſe corporis ambitus eumquè terminans cutis, per quam tanquam cribrum ſudor tranſcolatur: peculiaris autem partium cutanearum conſtitutio inprimis notanda venit: enimvero cutis non immerito cribro vel reti comparatur: conſtat enim ipſam cutem ex innumeris quaſi filamentis contexi, quæ ſunt vaſa capillaria tum venoſa tum arterioſa minutiſſima & inprimis fibril-

brillæ nerveæ innumeræ, qua ratione & cutis inter corpoea tnndinoſa à multis refertur: quibus filamentis glandulæ copioſiſſimæ ob exilitatem miliares dictæ interſeruntur orificiolis ſuis exteriora verſus ad cuticulam hiantes: & hæ glandulæ conſtituunt ſpecialiſſimum excretionis ſudoris organum, videnturque poros cutis majoris referre: hiſce tamen excretoriis vaſculis adhuc inſuper adnumerari poſſunt duæ pororum exiliſſimorum ſpecies, ſi non tranſudationi materiæ craſſioris? ſaltem tranſpirationi materiæ plus minus inſenſilis viam præbentes, nempe oſcula arteriolarum, hinc minima & indiviſibilia corporis perſpirabilis puncta.

TH. III.

Quoad modum fiendi: quamdiu equidem ſanguis moderatè circulatur, corpuſquè temperatè calet, reliquaquè omnia naturaliter ſe habent, vix ulla apparet ſenſibilioris alicujus materiæ vel humoris per poros cutis excretio, ſed omne tranſmiſſum aut ſub halituum aut ſub inviſibilium effluviorum forma difflatur, quæ actio inſenſibilis tranſpiratio dicitur: ratio hujus tranſpirationis inprimis videtur facilis: nam cum Ma. Sa., lympha, aliique humores continuo calore ſubjaceant, ſciamus vero vel ex uſu quotidiano, humores calore expoſitos exhalare & in auras abire nunc ſub vaporum viſibili forma, nunc ſub exhalationum magis inſenſibilium ſpecie, niſi occludantur: pari ratione ergo neceſſe eſt ſanguinis partes inprimis volatiliores difflari: quam tranſpirationis actionem ipſa quoque reſpiratio non parum facilitat: nam cum aër inſpiratus & fluidis corporibus permiſtus ea inſigniter turgere faciat, eorumque fermentativum motum promoveat: ſic & aër per pulmones ſanguini inſpiratus non tantum ſanguinis motum inteſtinum inſigniter promovet, ſed & cum is ratione ſui elateris ſanguinei hujus carceris impatiens ſit, mirum non erit quando occaſionem tantillæ libertatis nactus fuerit, ſi qua data porta, id eſt per poros cutis denuo erumpat omnequè plus minus volatile & leve ex Ma. Sa. ſecum vehat: Cum autem in præcedenti oſtenſum fuerit corporis ambitum innumeris ſcatere poris, qui corpore naturaliter conſtituto, adeoque fibrillis cutaneis in debito tono diſtentis ſemper aperti ſunt: hinc fieri nequit, quin corporis humores ad circumferentiam propulſi continuo plus minus inſenſibiliter exhalent.

IV.

Th. IV.

Cum vero quavis occaſione præeunte, ex. gr. motu extreno, calore aëris ambientis, ex aſſumpto medicamento ſudorifero &c. Sanguinis acceleratur circulatio, augetur fermentatio, corpuſque intenſius calet; ita ſanguis non tantum ad copioſiorem exhalationem diſponitur, ſed & impetuoſius verſus corporis circumferentiam ejuſque ſpiracula fertur, & fibræ cutis neveæ laxantur amplius, pori cutis aperiuntur largius: itaque materiam ſive humidam ſive magis volatilem eo excretam in humorem, id eſt ſudorem coagulari, in guttas concreſcere neceſſe erit, ſive id fiat ob humoris excreti (occaſione vehementioris caloris) craſſitiem & copiam, ſive ob moræ ad inſenſibilem difflationem requiſitæ brevitatem, aut junctim.

Th. V.

Quemadmodum jam procedente ritè inſenſibili tranſpiratione & hinc quoquè ſudore (ubi quidem occaſio vel Natura eum molitur) nulla corpori noxa infertur, quin potius maſſa ſanguinea ab iſtis ſuperfluis recrementis purgata & ceu à compedibus ſuis liberata & hinc univerſa animalis Oeconomia in deſiderato ſtatu conſervantur: ita contra ex prohibita quavis occaſione inſenſibili hac perſpiratione & ſuppreſſâ ſudoris materiâ jam emunctoriis ſuis propinquâ, mille mala & ingentes morbi oriri poſſunt; nam cum inſenſibilis tranſpirationis ut & ſudoris materia ſupprimitur, ea, ſive conſideretur ut quid ſuperfluum aut excrementitium nec ſanguini ſolidiſvè partibus amplius aſſimilabile, ſive, cum jam à ſanguinis maſſa excluſa fuerit, ab ejuſque conſortio ſeparata atquè in ſuperficie corporis jam latens aliam naturam ex. gr. cadaveris ut cum *Helmontio* loquar 'aſſumpſerit: ea igitur ſudoris & tranſpirationis materia ſive retenta ſive intro reſorpta non poterit non maſſam ſanguineam inſigniter turbare ejus fermentationem naturalem augendo vel imminuendo aut quovis alio modo depravando, unde Morborum univerſalium *Cauſa* erit, imprimis Febrium hinc & Cachexiarum: Quodſi vero in una tantum corporis parte v. g. ſolida, aut ſudoris aut inſenſibilis tranſpirationis quodvis oriatur impedimentum, hærente ſaltem ibidem ſivè ſudoris ſivè tranſpirationis materiâ, nec amplius à Ma. Sa. abſorptâ? Morbi orientur particulares v. gr. Tumores varii, abſceſſus, Catharri, ſc. vel corruptâ ibidem ſudoris tranſpira-

rationiſque materiâ vel depravatâ partis illius ſolidæ nutritione ob continuum partium heterogenearum proventum iſthuc à Maſſa ſanguinea continuo ablegatarum, nec per cutis poros excretarum, vel impedita inibi ſanguinis lymphævè circulatione cauſâ obſtructionis è dictis excrementis oriundâ ex quibus omnibus patet quanta ſit tum inſenſibilis tranſpirationis tum laticis ſeroſi cum ſuis contentis ſemel à maſſa ſanguinea ſeparati excretionis ulterioris neceſſitas, ut hoc non ſuccedente de hominis ſanitate deſperatum prorſus ſit.

Th. VI.

Utut vero ſudoris naturaliter ſe habentis inſignis ſit utilitas prout infra patebit, non caret tamen & ſuis noxis ſudor præſertim nimius: ſive enim is occaſione externâ, ſivè per intro aſſumptâ exceſſum fecerit, aut præternaturaliter atque ſymptomaticè ſupervenerit? ſemper virium proſtrationem ob ſpirituum nimium diſpendium & partium ſolidarum colliquationem inducit: hinc per continuatos labores vel per uſum medicamentorum ſudoriferorum & hinc ſuperinductum calorem & ſudorem accedente inedia aliquali non erit difficile corpulentiam nimiam brevi tempore tollere, cum & inedia ſola adhoc monſtrum tollendum ſufficere poſſit. In ſudore autem ſymptomatico, nil mirum ſi is ſummè noxius ſit cum non materia præſciſè morbiffica ſed potius ipſe ſanguinis nucleus, nutrimentum partium colliquata & ſpiritus vitales una copioſiſſime & continuo foras excludantur, unde extrema ſequatur virium proſtratio, cum alias ipſe morbus ſolus vel abſente hoc Symptomate viribus ægri non parcat: talis ergo ſudor tantum abeſt ut roboris Naturæ quin potius ſummæ ejus debilitatis indicium ſit, uti videmus in Phthiſi confirmatâ, ſudore Anglico, & multis morbis malignis.

Th. VII.

Quo autem ſudor provocandus ritè procedat, aut jam provocatus non ſupprimatur, duo imprimis requirimus: ſc. Primo, ut Corporis ſpiracula ſint debite aperta nec ex improviſo occludantur, & deinde ut ſanguis debitam conſiſtentiam & calorem atque partium ſui requiſitam extricationem (alias præcipitationem vocant) obtineat. Quoad prius, in homine ſano nunquam ejus erit periculum: iis vero qui morbidi ſunt vel fiunt occaſione ſudoris vel inſenſibilis tranſpirationis ſuppreſſæ, ſiquidem id fiat ratione

occlu-

occluſionis ſpiraculorum Cutis? *Cauſa proxima* erit duplex, nempe vel fibrarum nervearum Cutis ſpaſmodica tenſio, qua occaſione pori cutis & glandularum cutanearum orificiola conſtringuntur & auguſtantur vel prorſus occluduntur: cujus *Cauſæ antecedentes* inter plurimas alias poſſunt eſſe v. g. frigus externum repentinum, ſpaſmi aut convulſiones aliarum partium præviæ, dolores diuturni, aſtringentia exterius applicata &c. vel 2. Cauſa erit fibrarum earundem atonia, ubi relaxatis filamentis nerveis non minus neceſſe erit poros cutis concidere quam iiſdem nimium tenſis: hujur atoniæ *Cauſa proxima* inter plures alias ex. gr. eſt vel denegatus ſpirituum influxus, vel ipſorum etiam debilitas & paucitas, uti obſervamus in Hydropicis & Cachecticis qui ægrè admodum ad ſudorem compelluntur, quoniam ſpiritus apud hos languent: Secunda ſudoris conditio concernit ipſam ſanguinis conſtitutionem debitam quæ in eo fundatur, ut Ma. Sa. nec ſit nimis viſcida atquè condenſata, adeòque ad motum inepta, ſic enim tam fermentationis quam progreſſivus motus illius & hinc dependens caloris pro materia ſudoris exhalenda requiſitus gradus inhiberetur, nec ſanguis à ſuis impuritatibus ſudoris ope facile liberabitur: & vero nequè nimia ſanguinis reſolutio proderit ad debitum ſudorem, ubi latex aquoſus cum aliis heterogeneis particulis nimis arcte cum ſanguine implicata fuerint: in tanta enim Mæ. Sæ. reſolutione & quaſi ad puncta phyſica ſubdiviſione, craſis ejus debita & particularum proportio inſigniter depravatur imo annihilatur, quia particulæ omnes adeo reſolutæ homogeneam magis induunt figuram, qua ſtatâ fermentationi unicè tamen ad ſudorem requiſitæ nullus amplius concedetur locus: ſic ſudor ſi quis licet provocetur magis nocivus erit & cum ſumma virium proſtratione ſuccedet: ubi ergo ſanguinis adeo reſoluti ſuſpicio adeſt, ſudorifera acidis præſertim volatilibus ſociata Maſſam Sanguineam blande coire & veteri formæ reſtituere poterunt.

Th. VIII.

Nunc Medicamentorum ſudoriferorum vires operandiquè modum exponamus: poſſe autem omnes ſudoriferorum ſpecies duplici differentia ſatis commodè includi exiſtimo, nam quædam erunt poſitivè talia, quæ ſe active habent, id eſt in ſanguinem inprimis lymphamque immediatè agunt eum attenuando reſolvendo,

do , etiam heterogenea ex his præcipitando, fermentationem ejus augendo, undè laticis ſeroſi ſaliumque ab ipſo imbibitorum aliarumque impuritatum facilis contingat ſecretio, & aucto hinc calore, in vapores reſolutio & per cutis poros excretio, quod ut facere queant? patet ea ſudorifera debere quoque eſſe ſubſtantiæ volatilis penetrantis & ſolubilis, nempè talia quæ ad alias corporis regiones ultra primas vias ipſamque adeo uſque Maſſam Sanguineam pertingere poſſint: Talia ergo erunt ſpiritus & ſalia volatilia, olea deſtillata, eſſentiæ reſinoſæ, ſalia itidem fixa, vegetabilium quædam decocta v. g. ex Regno vegetabili, ligna. Guajacum, ſaſſafras, radix Chinæ ſalſæ-parillæ, folia ſcordii, Cardui benedicti, flores ſambuci &c. & ex his præparata varia: ex Regno animali ſpiritus & ſal volat: CC. vel Cranii humani. ſpiritus ſal. armoniaci, ſpiritus Urinæ.

TH. IX.

Secundâ ſudoriferorum differentiâ continentur ea omnia quæ ſaltem paſſivè agunt & quorum vis immediata non ultra primas vias ſe ſe diffundere creditur; quatenus nempe ibidem acidum naturale alias cum chylo ad ſanguinem continuo delatum abſorbent & retinent, quo acido maſſa ſanguinea non tantum orbata ſed etiam exinde prolecto per glandulas ſive ventriculi ſive inteſtinorum derivato ſicque ſanguine debito ſuo coagulo deſtituto conſiſtentiam obtinebit tenuiorem & fluidiorem, adeoquè & motui locali quam inteſtino magis aptam: ſed talia forte pauca aut nulla dantur, cum omnia pro illis habita de ſubſtantia adhuc aliqua volatili participent adeoquè ejus ratione operari videantur: ſicut v. gr. ſunt partes animalium duræ & oſſeæ nempe, CC. oculi cancr. maxilla Lucii piſcis, lapis bezoar, Unicornu, imo ipſum antimonium diaphoreticum cæteris fixius necdum omni ſulphure volatili exuitur, quo ſi per repetitas cum nitro fixationes prorſus privetur non erit amplius diaphoreticum, quod & *Williſius* advertit: Eorum ergo opinio qui ſudorifera quædam paſſivè operantia aſtruunt, non parvâ premitur difficultate: ſed nec omni difficultatè carere videtur ſententia eorum qui ſudorifera illa pro paſſivè operantibus habita ratione ſuæ ſubſtantiæ volatilis operari exiſtimant: nam ea tantilla eſt & inſufficiens collata cum hac quam obtinent ſudorifera activè & immediato ſuo cum ſanguine contactu operantia, quamvis hæc diaphoreticorum ſpecies

cies non minus copioſe ſudorem proliciat, quam illa, imo ſæpè largius. Veriſimilius igitur videtur ea, ut & quælibet alia non ſuo tantum corporali cum ſanguine contactu, ſed potius adhuc in primis viis hærentia, quamprimum ejus partes extricatæ fuerit, immediate ſpiritus influos in motu inprimis alterando occaſione contactus ſui & vellicationis partium ſenſibiliorum præcipuè ſuperioris orificii ventriculi, vel ratione commixtionis cum ſpiritibus vel liquoribus poros vicinarum partium penetrando operari: qua ratione contingat ſudorem mox etiam poſſe prolici, cum alias difficilius concipiatur quare ſæpè tam cito ſudor erumpat, cum medicamentum ſudoriferum mora indigeat, ut per multas ambages per quas cæteroquin Chylus fertut prius ad Maſſam Sanguineam devenire poſſit: hæc ſententia etiam per experimenta confirmari videtur, quando advertimus ſæpe unico hauſtu eximio inprimis calido ubi is ventriculum vix ſubingreſſus fuit, ſudorem erumpere, ubi tamen nulla ejus cum ſanguine prævia confuſio ſuſpicari poteſt: Eodem modo per ſimplex pathema ſudor ſæpe prolicitur ex. gr. occaſione terroris, ubi nil tamen materiale ſenſile intra concurrit: & quid hunc operandi modum manifeſtius probat quam ipſa Veneni alicujus aſſumpti inprimis Mercurii ſublimati ſubitanea & exitialis actio, qui ſanè ipſum ventriculum, partes vicinas eorumquè ſuccos & ſpiritus immediatè aggreditur, & nonniſi mediantibus iſtis tandem & ipſum integrum ſyſtema arterioſum nervoſumque afficit.

Th. X.

De ſudoriferorum uſu igitur ex hactenus prælibatis notamus eum ſane eſſe polychreſtum, imo vel tertiam morborum partem mediante ipſo vel ſaltem aucta inſenſibili tranſpiratione curari poſſe: In genere ergo Uſus ejus I°. erit ſanguinem attenuare & liqueſcere, atque ejus aliorumque conſequenter etiam humorum coagulationes impedire vel etiam factas tollere, unde promptiùs fermentetur ſanguis, hinc & ſpiritualſcentia ejus juvetur calor augeatur, denique ex ſanguine ita liquefacto & reſoluto quævis heterogenea facilius extricentur & præcipitentur. II°. Sanguis adeo attenuatus rapidius per vaſa circulatur quare & alia corporis fluida ab hoc motu dependentia celeriori motu pergent, unde maximo uſui erit hæc actio pro contentorum quorumvis ſtagnatione præcavenda aut tollenda. III°. Latex aquoſus ſanguinis quoquè inſigniter

niter rarefactus & attenuatus facilius & copioſius quævis heterogenea imbibit ſecumque per poros cutis traducit, undè fermenta maligna & contagioſa ex corpore hoc medio feliciter eliminari poterunt: IV°. partes quoquè ſolidæ & ſubcutaneæ hujus laticis ſeroſi & ſalſi tanquam liquoris ſaponarii ope à ſuis ſordibus ex corrupta inprimis nutritione ortis abſtergendo & abluendo facile purgantur.

TH. XI.

Specialior ſudoriferorum Uſus Morbos tum acutos tum Chronicos attingit, diverſo licet ſubinde ſcopo: nam in Acutis ſaltem evacuationis cauſa adhibentur, ut fermenta ſc. peregrina aliævè partes heterogeneæ vel ſub vaporum vel humoris forma ex corpore eliminentur, quod ut felicius ſuccedat regimen ſudoriferorum legitimum probè notandum venit, quod nobis indicat *Hippocrates* Sect. 1. ab aphor. 20. 25. quæ omnia quibuſvis evacuationibus in generali accommodari poſſunt: undè ſupponimus Naturam ſui Auxilium per ſudorem indicare, & materiam morbificam ad corporis circumferentiam vergere aut ſaltem tuto iſthuc trahi poſſe: & cum *Hippocrates* præcipiat non cruda ſed cocta medicanda eſſe, attendenda prius venit Maſſæ Sanguinæ conſtitutio, an partes heterogeneæ, materia morbiffica &c. ei forte intimius implicentur, an vero jam ipſi extricata ſint, & ut vocant ex illa præcipitata: cujus *Diagnoſin* nec non & inde Morbi ulteriorem progreſſum atque *Prognoſin* in benignis ſaltem optimè nobis ſuppeditat Urina: ea enim clara excreta ſine ſedimentis, cruditatem Maſſæ Sanguineæ & partium heterogenearum cum ſanguine confuſionem indicat: cum vero Urinæ craſſiores & contentis amplius ſaturatæ atquè ſpontè turbatæ prodire incipiunt; inchoatam coctionem præſagiunt, eamquè continuandam niſi urina denuo recrudeſcere incipiat: demum ſi turbida clareſcere & ad fundum contenta demittere incipiat? ſignum eſt progreſſus coctionis ulterioris. Inutiliter igitur in hoc caſu ubi omnia ſunt cruda, ſudorifera imo quandoque cum inſigni noxa propinantur, quando repetitis ſudoribus nonniſi ſpiritus exhauriunt & vires amplius proſternunt, materiam vero morbifficam ſanguini arctius implicatam non educunt: Eam vero materiæ morbificæ extricationem ut acceleremus præcipitantia ſeu moderate figentia in benignis, in malignis vero & alexipharmaca ſudoriferis vel præmittenda vel ſocianda erunt, quo

ſic

ſic maturetur coctio & materia morbiffica à Maſſa Sanguinea præcipitata feliciter per poros cutis educi queat: ex. gr. ſit in Febre ardente Mixtura ſequens.

℞. Aquæ Rubi Idei ℥iß.
Taraxac. ℥j.
Succi ribium vel rubi idei ʒvj. ad ℥j.
Antimon. diaphor. ʒß. ad ʒj.
Spirit. ſal. q. ſ. ad gratum ſaporem. Miſce.

de qua capiat ſubinde æger cochlear unum atque alterum.

℞. CC. ſine igne gr. xv.
Bezoard. miner. ℈ß.
Camph. gr. j. vel ij. fiat pulvis pro doſi capiendus ante paroxyſmi exacerbationem.

Th. XII.

In Morbis Chronicis alterationis non minus quam evacuationis cauſa provocatur ſudor aut ſaltem abhibentur ſudorifera ſudore licet neglecto: nempe ut Maſſ. Sang. viſciditas incidatur, acidum ſuperfluum abſorbeatur vel enervetur, & ſtagnantes hinc inde humores reſolvantur, quibus ut deſideratus ſuccedat effectus circumſtantiarum etiam habenda eſt ratio, v. g. virium, conſtitutionis plus minus ſucculentæ, ſordium etiam in primis viis ſtabulantium patientis, quibus omnibus in anteceſſum vel junctim aut proſpiciendum aut pro eorum exigentia ſudorifera vel ſubindè repetenda vel purgantibus diureticiſve interponenda aut ſubjungenda: Sic ſudorifera etiam ex. gr. in Paralytitis, Iſchiaticis, Arthriticis, Lue venerea laborantibus optimo erunt uſui. Sit exempli cauſa. Decoctum pro Paralytico.

℞. Raſuræ ligni ſaſſafras ℥ij.
Herb. Roriſmar. rec. Mij.
Bacc. Juniperi, lauri ana ℥j.
Coque in Aqua & Vini ℔ij. in cucurbita cum alembico operta ad mediet. Colaturæ adde
Spirit. Bacc. Juniperi ferm. ℥iv.
Sal. Ammociaci ʒß.
Syrup. flor. tunicæ ℥iv. Miſce
De quo bis vel ter mane, veſperi & ſub introitu lecti capiabur bonus hauſtus.

Th.

Th. XIII.

In ſelecta ſudoriferorum denique cautione opus eſt, nequè enim promiſcuè quælibet quibuſlibet morbis convenient: nam in morbis ſaltem chronicis volatilia oleoſa calida & acria locum aliquem habere poſſunt, qualia ſunt v. g. olea dta Guajaci, juniperi, CC. &c. in acutioribus vero volatilia ſaltem macra vel magis fixa v. gr. Spirit. ſal. Armoniac. ſpir. theriacalis, Nitrum & nitrata, Antimon. diaph. antiheCt. Poterii &c. in malignis vero quæ ſimul ſunt alexpharmaca, & utrobiquè pro circumſtantiarum ratione interdum opiatis ſociata.

Th. XIV.

Tandem detrimentis à ſudore oriundis nec non & nimii noxis quoquè medendum erit: Sivè enim is arte prolectus ſponte tandem remittat (ubi moderatè acidis ex. gr. Citro, berberibus, Cydoniis, item Tris acidulis cum Spirit. Vitrioli vel nitri paratis Ma. Sang. proſpiciemus, ut Maſſ. Sang. iterum blandè coëat & in debitam naturalem conſiſtentiam reſtituatur, hinc & vires labefactæ denuo reſtaurentur) ſivè profuſior fuerit & ultra modum atquè ſymptomaticus? occurremus illi aut aliqualiter infringendo aut planè tollendo (vbi tamen ne ſimus intempeſtivi cavere oportet) aut viribus ſaltem pro poſſibili ſubveniendo, quod faciemus præter antedicta ope refrigerantium aſtringentium vel ſpirituum impetum compeſcentinm: ex. gr. in Phthiſi confirmatâ pro Tuſſi, Sudore &c. nocturnis inhibendis.

℞. Antihectici Poteri ℈j.
Sacch. Saturni ℈ß.
Extract. croci gr. v.
Laudâni opiati gr. ij. vel iij.
Balſ. Copayvæ q. ſ. fiant pipulæ pro 2 doſibus bihorio ante cænam ſumendis.

COROLLARIA.

I. *Etiam pulmones per ſe moveri vel ſaltem ad motum niti adſtruitur.*

II. *Omnibus viſceribus ineſſe ſua ſpecialia fermenta aſſeritur.*

III, *Ea ratio quod Uterus fibris muſcularibus ad orificium ejus aperiendum requiſitis deſtituatur, non probat ſemen maſculinum eum non ingredi.*

IV. *Sudoriſera Medicamenta omnia promiſcuè etiam activitatem ſuam in primis viis immediatè exſerunt.*

F I N I S.